

Amplissimi &amp; Generosi viri Dni,

IACOBI CVRTII, ANTEA PROCAN-  
CELLARII IMPERII,

Ad

TYCHONEM BRAHE IN DANIAM

SCRIPTARVM ANNO CIO · ID · XC.

S. P.

**M**agnas tibi ago gratias Nobilis æque ac eruditissimè vir, quòd me nò mò-  
dò literis tuis compellare, sed benevolentiam quoq; tuã tam amanter of-  
ferre mihi volueris. Ego certè, licet faciem tuam non viderim meliorem  
tamè tui partem mentè nempe, ex scriptis tuis, quibus te ipsum æternitati  
iam consecrasti iam olium & amavi & suspexi & eius causa totum te videre  
venerari, & amplexari non minus avidè concupivi, quam illi olim, qui ex ultimis Hispa-  
niæ finibus ad Livium videndum in urbem profecti sunt. Auxit hoc meum desiderium  
humanissima hæc tua compellatio, & in tantum auxit, ut nisi Cæsaris voluntas, & munè-  
ris publici, quod gero, ratio prohiberent: ita me DEV Samet, neque itineris intercape-  
do & molestia neque suavissimæ coniugis dulcissimorumque pignorum amor & illecebræ  
me cohiberent, quin arrepto itineris comite communi amico Thaddæo Hageccio ad te  
in Daniam usque excurrerem. Dicere nequeo, quanto perè me delectet cum Hageccio,  
mente postquam corpore non possumus, totam Hueniam perlustrare, & imprimis exactis-  
sima tua observatoria Instrumenta, totum denique Mathematicum illum apparatus vel  
imaginatione tantum complecti. Quid verò si ipse spectator adessem, teque ipsum om-  
nia non explicantem tantum, sed exercentem videre possem? Sed id quia optare quidem  
licet, sperare hoc tempore vix (neque enim omnem spem penitus abieci:) missum iam  
ciam, & ad Epistolam tuam conversus, paucis ad summa eius capita respondebo. Atq; hoc  
hoc imprimis. Quod iudicium meum de scriptis tuis amanter exquiris, quod censura  
meæ, eam quæ tibi cum doctissimis, quibusdam viris non tam lis quam amica est concerta-  
tio subijcis, in eo tantum mihi à te honoris tribui accipio, quanti non facerem, si Reges  
& Principes de Regnis & Provincijs integris desceptantes, me sibi Iudicem constitue-  
rent. Ut vero, id quod petis & offers, mihi faciendum sumam, nec eruditio, quæ in me aut  
nulla est, aut verè exigua, neq; modestia mea patitur. Nè tamen ad tam amicam postula-  
tionem planè surdus sim, hoc habeto. De scriptis tuis quid in genere sentiam, testabitur  
Cæsareæ Maiestatis privilegium, quod hisce literis adiunctum tibi mitto, cuius ita scri-  
bendi ego Cæsari author, et porro, vera in eo Cæsarem testari, sponsor fui. In specie ve-  
ro ea quæ de Cometis posterioribus, quotquot ipsa observasti, à te tradita solidissimis op-  
tationibus confirmata sunt, talia esse puto, vt de ijs ne ambigi quidem amplius ab Erudi-  
tis viris queat. Itaq; non adducor, ut credam eos qui hac in parte dubios sese adhuc ostē-  
dunt, & contra demonstratam veritatem Aristotelis authoritati pathrocinari videri vo-  
lunt, id ita vere sentire. Sed hoc potius, eos agere puto, ut, cum omnem moverint lapidē  
omniaq; undiq; conquissiverint, quæ Aristotelam sententiam confirmare tuam vero labe-  
factare, aut dubiam reddere videantur, ea tibi proponant, tanquam at Lydium lapidem  
examinanda, adeoq; causam tibi præbeant, eruditionis tuæ Sole, omnes omnino erro-  
rum tenebras non modo, sed vel levissimas nubeculas dissipandi, exactissimamque  
harum rerum doctrinam posteritati perficiendi. Qui si hac mente te cum certant, nã ego  
illis